

Georg Mejer Johannes Nemorimontius


Disputationum Physicarum Septima De Motu, Quiete, Et Infinito

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742736105>

Druck Freier  Zugang






51

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





Disputationum Physicarum
S E P T I M A

DE
MOTU, QUIETE,
ET INFINITO.

Quam

Divina adspirante gratia

In Inclyta Academia Rostochienfi

SUB PRÆSIDIO

M. GEORGII MEIERI

Duderstadenfis Saxonis.

Tuebitur

JOHANNES NEMORIMONTIUS

VVarnensis Respondens.

Ad diem 9. Junij horis & loco consuetis.



Rostochij Typis Myliandrimis Anno 1610.

*Reverendis, Clarissimis, pietate, virtute,
prudentiâ, eruditione, & omnis generis doctrinâ
prestantissimis viris,*

DN. M. CHRISTIANO QVACO
Ecclesiæ Christi apud Waldeccenses Pastori vigilan-
tissimo, affini suo venerando & charissimo.

VI ET

DN. M. GELMERO NEMORIMONTIO
In Ecclesia Warnensi Divo Georgio sacrâ, verbi divini
ministro fidelissimo & dignissimo, fratri
suo dilectissimo.

Nec non

*Speçtatissimis, consultissimis, prudentissimis, & vero pietatis en-
comio, virtutis ornamento, multoq; rerum usu
prestantissimis viris,*

DN. HENNINGO TROIEN

&

DN. CASPARO LOBESIO

Inclytæ Reipub. Warnensium Consulibus
dignissimis,

*Dominis Mæcenatibus, promotoribus, fautoribus atq; patronis suis,
quovis tempore & loco plurimi faciendus, & omni observantia,
honoris atq; obsequij studio diligentissimè colendis, in perpe-
tuum & hæc studio diligenter, ov hæc studij sui
Physici primitias,*

obfert, dicat, consecrat,

IOHANNES NEMORIMONTIUS
Warnensis Respondens.



DE MOTU QUIETE
ET INFINITO.

Theorema I.

De motu rectè agitur in Phycis.

HActenus de corporum naturalium principijs sive
causis, tam internis quam externis egimus: se-
quuntur nunc eorum affectiones. Quia vero mo-
tus communissima est corporis affectio, meritò pri-
mum inter affectiones obtinet locum, præsertim
cum tanta necessitudine cum natura cohæreat, ut

hæc sine illo perfectè cognosci nequeat, ἀναγκαῖον γὰρ ἀνομοιωτῆρος
αὐτῆς, ἀνομοιωτῆρος γὰρ τῆς φύσεως. Arist. lib. 3. Phys. c. 1. t. 1.

II. Patet hinc doctrinam de motu ex agro Phycico minimè esse
reijciendam, cum quod natura, ut jam dictum, sine ejus cognitione
cognosci non possit, tum quod motus, affectio sit propria corporum
naturalium. Quia itaq; in Phycica agitur de corpore naturali, quis
tam audax est, ut propriam ejus affectionem ab eodem divellere
ausit? Subjectum certè, & affectiones subjecti, ad eandem perti-
nent disciplinam.

III. Quamvis autem res adeò sit manifesta, ut ei obloqui qui
velit sensu carere videatur: non tamen desunt, qui de motu tra-
ctationem in Phycica heterogeneam; in Logica vero homogeneam
esse contendunt. Ne autem prorsus idipsum sine omni ratione fa-
cere videantur, hæc obijciunt argumenta: 1. Motus, vel res motu
facta, est effectum, habet enim respectum ad suas causas. Ergo per-
tinet ad Logicam, quia omne effectum pertinet ad Logicam. 2. Mo-

ius est generalis Entis affectio, Ergo ad generalem pertinet disciplinam, scilicet Logicam.

IV. Straminea hac sunt argumenta, & operosa refutatione haud digna. Primum initio confundit affectionem cum eius subiecto, aliud enim est motus, aliud res qua movetur. Deinde si vel maximè concedatur, motum esse effectum, non tamen statim sequitur quod ad Logicam pertineat, nondum enim probatum est omne effectum ad Logicam pertinere. Certè si propositio hac ἀπάνως & sine ulla limitatione est accipienda, sequetur reliquas scientias omnes & disciplinas esse cum Logica confundendas: In Metaphysica enim habentur effectus; similiter in Physica; in Ethica; in Politica; in Theologia. Igiturnè omnes hæc disciplina supervacanea? ἀτόμω. Dicendum itaq; quod effectum consideretur, vel ut notio secunda, vel prima: priori modo effectum consideratum ad Logicam refertur; posteriori vero non item. Alterum argumentum manifestò est falsum: non enim motus affectio est Entis, sed corporis. Et si affectio est Entis, ubi quaeso in Metaphysica agitur de motu? ad quodnam genus affectionum, simpliciumnè an disjunctarum refertur? Si motus affectio est generalis Entis, Deo etiam competet, quia est Ens; angelis competet, quia sunt Entia; accidentibus competet quia sunt Entia, quæ omnia absurda sunt: Neq; enim DEus, neq; angelus, neq; accidens moveri dicuntur, sed corpus naturale. Et si vel maximè esset generalis Entis affectio, non tamen ad Logicam pertineret, quia dicitur adhuc alia disciplina generalis, Metaphysica videlicet, quæ jure sibi generalem Entis contemplationem vendicat.

Theorema II.

Motus vocabulum est κίνησις.

Cum equivocatio omnis confusionis sit causa, placet prius varias vocabuli motus acceptiones producere, quàm ad ejusdem definitionem accessum faciamus. Sumitur autem primò, nimis latè, pro

Motus non e. aff.
tio Entis sed cor.
poris

1 motus significo minus
lata.

mutatione quacumq; prout etiam generationi & corruptioni competit. Deinde nimis strictè, prout tantum latiori competit, quaquicquam de loco in locum movetur. Tandem propriè pro ea mutatione qua fit in subjecto jam actu existenti. Et hac significatione vocabulum motus hic venit considerandum.

Theorema III.

Motus est actus ejus, quod est in potentia, quatenus potentia. Arist. lib. 3. Phys. c. 1.

I. Actus dicitur motus, non quidem perfectus, sed imperfectus, Perfectus enim est primus vel secundus, primus vocatur rei forma

secundus forma operatio, neuter vero motus, ideoq; actus est imperfectus qui in potentia ad formam consequendam existit, η κίνησις ἐνέργεια μὴ ἔτι εἶναι ἢ κῆν, ἀπλῆς δέ. αἴτιον δ' ὅτι ἀπλῆς τὸ δυνάμει, ἔστι ἐνέργεια κίνησης. Arist. lib. 3. Phys. c. 2. t. 12.

II. Quia vero motus actus est, erit actus ejus, quod eundem nondum habet. Non inficiamur quidem ipsum mobile suū habere actum proprium sive formam: verum hic actus respectu novi actus introducendi potentia dicitur, potest enim actus respectu alterius habere rationem potentia, licet revera potentia non sit, quemadmodum dicimus as in potentia esse ad actum sive formam statuae, cum aris actus, nihil minus sit actus, quam statua, sed quia as in universum comparatum est ad productionem statuae, fit ut propter sequentem actum statuae, aris actus dicatur non actu sed potentia existere, ἐστὶ γὰρ ὁ χαλκὸς δυνάμει ἀνδριάς, ἀλλ' ὅμως ἔτι ἢ τὸ χαλκῆ ἐπιπέχευα, ἢ χαλκὸς, κίνησης, ἐστὶν. Arist. lib. 3. Phys. cap. 1. t. 9.

III. Hinc videre licet quid respondendum sit ijs, qui obijciunt definitionem motus non competere motui locali, propterea quod semper in Entibus qua sunt actu, reperiat. Nam etiamsi subje-

Actus e. vel perfectus
vel imperfectus.
Actus perfectus
vel primus, vel
secundus.
Actus perfectus
vel secundus
vel forma
operatio.

Hic autem rationalis
n. actus primus in
nomine: significatio
v. actus operatio
actus secundus.

Actus imperfectus in
potentia ad formam
consequendam existit.
Et si actus respectu
novi actus introduci
tendi potentia tri
quam vis statuae
potentia non sit
c. 9. r

Etum in quo fit motus, sit Ens actu in se consideratum: tamen est
Ens potentia ad ipsum ubi acquirendum.

Theorema IV.

In omni motu consideranda veniunt mo-
vens, mobile, & terminus.

novus forma
rationem habet.
mobile v. materia
sui sibi acti: quia
mobilia patiuntur a
movente & propter
nil sunt, nisi materi-
am motus ipse in mobili
sua materia ista
consistit, non vero
in movente:
nam motus est actu
in, quod mobile est.

- I. A movente motus emanat: Quicquid enim movetur, mo-
vetur ab alio. Sunt vero moventia sive agentia in duplici disse-
rentia: Quaedam agunt contactu corporeo; quaedam virtuali.
Quae contactu corporeo agunt, agendo repatiuntur, propter mate-
riam quam sibi habent admixtam: secundum formam agunt; se-
cundum materiam patiuntur, ἵνα δ' ἐν τῷ αὐτῷ καὶ διω-
μῶ καὶ ἐντελεχείᾳ ἔσιν, ἔχ' ἄλλα δὲ, ἢ ἢ καὶ τὸ αὐτὸ, πολλαὶ ἡδὲ
ποιήσῃ καὶ πείσῃ ὑπ' ἀλλήλων. Arist. lib. 3. Phys. c. 1. t. 8. Quae
vero contactu virtuali agunt, agendo nihil vicissim patiuntur.
Sic corpora caelestia quando in hacce inferiora agunt, nihil patiuntur.
- II. Mobile motum ab agente profectum in se recipit, aliis pa-
tiens dictum, quemadmodum movens agens: Omne autem mo-
bile, secundum materiam dicitur mobile, veluti movens secundum
formam movens. Ut enim actio omnis a forma: sic passio omnis
a materia. Et quia passio omnis a materia, mobilia non erunt, nisi
materiata.
- III. Cum autem omnis motus, sit ex quodam in quiddam ut
testis est Philosophus lib. 5. Phys. c. 1. t. 3. Oritur terminus du-
plex, a quo, & ad quem. Terminus a quo est, unde fit principium
motus; terminus ad quem, ubi motus desinit. Sic lapis projectus
moveri incipit in termino a quo, quiescit vero in termino ad quem.

Theorema V.

Motus est non in movente, sed mobili.
Arist lib. 3. Phys cap 3 t 18.

Est

Est enim primò motus actus ejus, quod mobile est, ἐπιτέλεια
 ἢ ἐστὶ τῆς, inquit Philosophus loco citato, ideòq; in mobili potissi-
 mùm considerandus. Deinde testatur sensus, motum harere non in
 movente, sed mobili. Præterea manet motus in mobili, licet à mo-
 vente emanet: Est vero accidens definiendum in eo subjecto, in
 quo est, & manet. Tandem motus ipsum mobile perficit: Est
 enim motus propter perfectionem mobilis, idcirco in mobili etiam
 reperitur, cum quicquam in eo dicatur esse subjecto, quod perficit.

Theorema VI.

Moventis & mobilis unus idemq; est mo-

tus. Arist. lib. 3. Phys. c. 2. *quia cum motus uno subjecto*
à se ipso differt, ut in mobili quæritur, ut motus esse
ob subjecti unitatem, ut motus esse

ἄνω τὸ αὐτὸ ἄνωθεν ἐν πᾶσι δύο, καὶ δύο πᾶσι ἐν, καὶ
 τὸ ἀναπτεῖς, καὶ τὸ κἀπαντεῖς, πάντα ἃ ἐν μὲν ἔστιν, ὁ μὲν τοι λο-
 γὸς ἔχει ὁμοίως ὅτι καὶ ἐπὶ τῷ κινῆσει, καὶ κινεμετρῆσι. Sicut
 enim idem spatium est unum ad duo, & duo ad unum, & accli-
 ve & declive: hæc enim unū sunt, licet ratio non una: Sic quoq;
 & in movente & mobili. t. 18. Nec ratio hujus rei quærenda lon-
 gius, quia enim motus uno subjecto nimirum mobili constat, ut in
 theor. præcedenti ostensum fuit, non potest à se ipso differre: ob
 subjecti enim unitatem, ipse quoq; motus unus est. Ut taceam
 quod motus & respectu moventis & mobilis eundem habeat termi-
 num, est enim propter introductionem ipsius ἐπιτέλεια. Diversam
 vero hujuscemodi motum obtinere rationem non negamus, quate-
 nus enim à movente proficiscitur, actio: quatenus vero in mobile
 recipitur, passio appellatur, faciunt enim id duo oppositi termini,
 inter quos unus idemq; motus intercedit, eosq; inter sese devincit,
 & copulat.

motus quatenus à
movente proficiscitur
est actio: quatenus
vero in mobile recipitur
est passio.

Theorema VII.

Motus est vel naturalis; vel violentus; vel
 animalis; vel voluntarius. Divi-

Nulla violentia diu-
turna.

- I. Divisio hac motus desumpta est è subjecto, quod quia est vel natura sponte sua movens; vel natura ab externo quodam violento mota; vel appetitus; vel voluntas, quadruplex etiã oritur motus.
- II. Motus naturalis est, cujus principium est internum. Sic corpora gravia naturali suo motu deorsũ: levia sursum feruntur.
- III. Violentus dicitur, cujus principium est extrinsecum, nihil conferente eo, quod movetur, talis est lapidis sursum projecti motus. Et motus hic diuturnus non est, quia nullam violentum diuturnum. Hujus species sunt quatuor ἐλξίς, ὤσις, ὄχνησις, δίνησις, pulsio, tractio, vectio, vertigo. Videatur Arist. lib. 7. Phys. c. 2. t. 11.
- IV. Motus animalis est, qui ab appetitu in animalibus profiscitur. Sic motus animalis est, quando bruta pabulum questum progrediuntur: appetitus enim cibi parit hunc motum.
- V. Motus deniq; voluntarius est, qui à voluntate oritur, estq; solius hominis proprius & peculiaris, quia voluntas tantum in homine.

Theoroma VIII.

Species motus propriè quatuor constituuntur: Augmentatio, diminutio, alteratio, & latio sive motus localis. Arist. lib. 7. Phys. cap. 2 t. 11.

I. κίνησις ἔστιν inquit Philosophus, ἢ τὸ τὸ πόν, καὶ τὸ τὸ ποσόν, καὶ τὸ τὸ ποσόν, Fit motus vel secundũ quantitatem, ut augmentatio & diminutio; vel secundum qualitatem ut alteratio; vel secundum locum, ut motus localis.

II. Quidam generationem & corruptionem speciebus motus annumerant, sed malè: nam generatio & corruptio motus propriè non sunt, quia omnis motus fit successivè & in tempore: Generatio vero & corruptio in momento. Adde quod omne illud quod movetur

generatio, & corruptio
sunt in momento
motus v. omnis generatio
sive corruptio in tempore
ergo &c.

tur sit Ens actu: quicquid autem generatur, non est Ens actu, nam quod generari debet, nondum est: sed sunt mutationes Arist. lib. 5. Phys. c. 1. t. 9. quia in generatione & corruptione, ipsa substantia ratione essentia fit alia: In illa enim est non Ente fit Ens; in hac vero ex Ente non Ens, quae sane mutatio ipsius substantiae est.

III. Augmentatio est motus, quo major acquiritur quantitas. Sed hic oritur questio, utrum augmentatio fiat secundum formam, vel materiam, an compositum. Cardanus cum Aristotele augmentationem secundum formam fieri contendit, Dicit enim Aristoteles: $\tau\omicron\ \delta\omicron\tau\epsilon\upsilon\ \mu\acute{\epsilon}\gamma\epsilon\upsilon\ \alpha\upsilon\gamma\acute{\alpha}\nu\epsilon\sigma\tau\alpha\iota\ \alpha\epsilon\tau\epsilon\sigma\iota\omicron\nu\ \tau\upsilon\delta\omicron\varsigma,$ & $\mu\acute{\iota}\nu\upsilon\ \tau\omicron\ \epsilon\iota\delta\omicron\varsigma\ \epsilon\sigma\tau\iota\ \epsilon\upsilon\delta\epsilon\chi\omicron\mu\acute{\alpha}\tau\omicron\nu\ \kappa\acute{\alpha}\ \delta\epsilon\ \tau\lambda\omega\ \iota\delta\iota\omega,$ Ex est. lib. 1. de gen. & cor. c. 5. t. 35. Verum Scal. Arist. excusans, Cardanum refutat exerc. 101. sect. 15. augeri v. non formam, neq. etiam materiam, sed ipsum compositum statuit. Quidam deniq. augmentationem secundum materiam fieri contendunt, & haec eorum sententia veritati vel maxime videtur consentanea.

IV. Initio enim augmentationem secundum formam fieri non posse probatur. 1. Quia augmentatio est secundum quantitatem: quantitas autem non est affectio formae, sed materiae, & quia quantitas non potest attribui formae, neq. augmentatio eidem attribui poterit. Hinc Scal. Cum augmentum sit affectus quantitatis neutiquam formae potest attribui: nulla enim forma quantitas. exerc. 101. sect. 15. 2. Omne quod augetur, recipit majus & minus: Quod enim augeri potest, etiam diminui potest, & res quando augetur, dicitur fieri major, quando diminuitur minor. Formae vero non recipit majus & minus. Formam qui majorem, aut minorem dicet, abutetur patientia sapientum. Scal. loco citato. Et ratio in promptu est: quia quicquid recipit majus & minus, illud est corporeum, est quantum, est divisibile, quae omnia de forma verè enunciari non possunt.

V. Nec sententia Scaligeri consistere potest: Nam confundit augmentationem cum generatione, vel saltem à generatione argu-

omne quod mo:
vultur est ens
acti!

B

menta-

mentatur ad augmentationem. Dicit totum compositum generari
Ergo etiam augeri. Hic coherentia nulla; nam diversissima est
generationis & augmentationis ratio. Generatio respicit totam
substantiam, ideoq. compositum generari dicitur: augmentatio
vero quantitatem, ideoq. non compositum; sed materia cum qua
quantitas nexu indissolubili cohaeret augeri dicitur.

VI. Relinquitur ergo augmentationem fieri tantum secundum
materiam, est enim in categoria quantitatis, qua tantummodo
materiam respicit.

VII. Quod si quis tamen augmentationem in composito forma
per accidens attribuere velit, ei non usq. adeo refragamur. ^U
enim forma, non in & per se, sed tantum per accidens, ratione vi-
delicet materia cui inest quanta dicitur: Sic etiam ad extensio-
nem corporis, in quo delitescit, non in & per se, sed per accidens
extendi dicitur.

VIII. Diminutio qua species est opposita augmentationi in
quantitate, est motus, quo minor acquiritur quantitas.

IX. Alteratio una qualitatis species, utriq. contrariorum a-
quipollet: regreditur enim tam ab habitu ad privationem, quam à
privatione ad habitum, & definitur quod sit motus quo alia acqui-
ritur qualitas, ut quando ex aqua calida fit frigida; & vicissim
è frigida calida.

X. Latio deniq. Græcis Ποσὴ dicta est motus, quo aliud spatium
occupatur, nimirum sursum vel deorsum; antiè vel retrò; dextrum
vel sinistrum versus.

Theorema IX.

Quies est privatio motus in subjecto ha-
bili ad eum recipiendum.

I. Motui quies est opposita, ἀντικείμενος τῇ κίνησει κατὰ τὴν ἀρίστων
lib. 5.

lib. 5. Phys. c. 6. t. 53. non quidem contrariè, sed privativè, εἰρη-
νης ὅ ἐστι, datur enim per naturam à quiete ad motum regressio.

II. Sed hic quaritur, utrum quies motui, an hic illi præstet?
Non potest categoricè ad quæstionem responderi, siquidem motus
vel præcedit quietem, vel eandem subsequitur. Quies non est præ-
stantior motu subsequente, quia ejus privatio: sed præcedente, quia
ejus perfectio. Hinc Scal. Quies nobilior est, siquidem pro-
pter eam motus, exer. 18.

quis motum fr:
atur: quia nō pri:
vatio: sed dicit
quia eius perfectio

Theorema X.

Quies est vel naturalis, vel violenta. Arist.

lib. 5. Phys. c. 6.

Quies naturalis est, qua res est & permanet in loco suo natu-
rali, ejusque principium est internum. Sic corpus grave in terra,
tanquam loco suo naturali quiescit. Violenta vero est, qua res non
in loco suo proprio & naturali quiescit, ejusque principium est ex-
ternum. Sic ignis in terra visceribus conclusus, ut in loco suo non
proprio, vi detinetur. Et tantum de motu & quiete: Sequitur
infinisum.

Theorema XI.

Infiniitū est extra quod semper est aliquid.

Ἄπειρον μὲν ἐν τῷ τ' ἐστὶν ὅτι τὸ πῶν λαμβάνουσιν, αἰεὶ
π λαβῶν ἕξω ὄσιν. Arist. lib 3. Phys. c. 6. t. 63. E. g. Si daretur
linea aliqua infinita, possem quidem unam post alteram partem
accipere, ad ultimam tamen nunquam devenire.

Theorema XII.

Infiniitum in natura non datur actu, sed
potentia. Arist. lib. 3. Phys. c. 5. t. 56.

Multis

I. *Multis quidem Philosophus probat, non dari infinitum in natura ἐγγύεια. Sed non indiget hoc operosa probatione, siquidem*
1. *ipsa natura finita est, qui ergo infinitum in ea esse potest? minus quod est, potestne complecti id, quod majus est? ἀτομν.* 2. *Habet quodlibet corpus naturale suos terminos, extremitatesq, quibus circumdatur & terminatur: Quis vero infinitum terminabit?*
3. *Si infinitum aliquod corpus esset in natura, illud omnia occuparet loca, neq, ullus alius rei generationi restaret, cui tamen sensus reclamaret.*

II. *Dari vero infinitum διωάμδ manifestis exemplis probari potest. Nam nullum corpus quantum dari potest, in quo secundo ad minimum perveniri queat, semper enim quicquam remanet, quod dividi insuper possit, cum nullum corpus in non corpus resolvatur, & nullum divisibile in non divisibile. Sic nullus tam magnus dari potest numerus, qui non addendo aliquid fiat major.*

COROLLARIA.

I.

An accretio sive augmentatio differat à generatione? A.

II.

An motus lapidis projecti fiat virtute solius projicientis? N.

III.


An omne leve moveatur sursum, & omne grave deorsum? Affir. contra Timpl. par. 1. Phys. c. 16. q. 5.


IV.

An motus naturalis inanimatorum sursum vel deorsum pendeat à principio externo ut vult Timpl. par. 1. Phys. c. 16. quæst. 7. N.

V.

An quies motui semper privativè opponatur? N.





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia existunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se existit, non in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, per accidens tamen id fieri posse, concedimus. Quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore existere. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unione separantur.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document